



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Exemplum miraculi authentici meritis venerab. Mat. Marg. Mariæ a Deo  
impetratum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

(xiii)

E X E M P L U M M I R A C U L I  
Authentici Meritis venerab. Mat. Margaritæ Mariæ  
Alacoque a Deo impetratum, de quo in præcedenti  
Epistola mentio facta est.

*Totius rei geste acta integra, & ex formula juris  
authentica habemus præ manibus: sed quia longiora sunt,  
ut brevitati consulamus, in pauca, quantum licuit, con-  
trahenda censuimus.*

C Oram Nobis Joanne Josepho Languet, Presby-  
tero, Doctore & Socio Sorbonico, &c. Vicario Ge-  
nerali Illust. ac Rerend. D. D. Caroli Francisci d'Hallen-  
cour de Dromenil Episcopi Augustodunensis &c. Die  
9. Augusti anni 1713. in cursu Visitationis nostræ  
Monasterii Sanctimonialium a Visitatione B. V. M. in  
Civitate Parodiensi constituti, Præsentis fuere perso-  
naliter Venerabiles Mater Soror *Anna Elizabeth de la  
Garde*, dicti Monasterii Superior. Soror *Francisca Ro-  
salia Verchere*, Assistent. Soror *Joanna Maria Com-  
tois*. Perona *Rozalia de Farge*. *Anna Alexia Guinet  
de Marechalles*, ejusdem Monasterii Consiliaria, uni-  
versam communitatem repræsentantes: Quæ nobis  
exposuere, jam a viginti tribus circiter annis, Soro-  
rem Margaritam Mariam Alacoque hujusce Monaste-  
rii Sanctimonialem, mortem in hoc ipso Monasterio  
obiisse cum opinione eximiæ Sanctitatis, quippe quæ  
vitam in exercitio heroicarum virtutum transfegerat:  
ita ut, dum adhuc viveret, illius Sanctimonia palam  
cognita, ac populi etiam suffragiis prædicata fuerit. Ve-  
rum

rum post illius mortem, famam illam Sanctitatis longe fuisse illustriorem, ob gratias extraordinarias, ejusdem intercessione a Deo acceptas. Inter ceteras autem ejusmodi gratias, Sororem Claudiam Angelicam de Moulins in dicto Monasterio Christo consecratam, annum agens vigesimum, morbo quo laborabat sanatam fuisse ratione quadam mirabili ac repentina . . . . quæ nonnisi evidenti miraculo tribui potest . . . Quas ob causas a nobis supplices postulavere, ut testimonia jurata tam dictæ Sororis Claudiæ Angelicæ, quam Medicorum, aliarumque personarum, quibus morbi natura, ac modus sanationis cognita sunt, audire, auditaque in acta referre dignaremur.

Itaque Nos Vicarius Generalis, earum supplicationibus inclinatus, elegimus in scribam Magistr. Jacobum Godin, atque ad Examen Testium juratorum progressi sumus.

Prima omnium comparuit Soror Claudia Angelica des Moulins, quæ post juramentum, de veritate dicenda, præstitum, testata est: se die 18. Nov. anni 1712. repentinis acutisque arreptam ac percussam esse per duos dies Coli cruciatibus: Tum supervenisse sibi in latus dextrum paralysem tantam, ut nec uti brachio dextro aut ipsum movere, aut in crus inniti liceret: Totum corporis latus dextrum ita caruisse sensu, ut quamvis vellicata, punctaque sæpius, nihil unquam perceperit: Toto trium mensium spatio decubuisse, dumque componendus esset lectulus, in alium fuisse asportandam, quod toto illo tempore stare non posset etiam innixa bacu-

baculis, ac nec federe propter nervorum contractio-  
 nes, & trepidationes, quæ afflicto in latere excitaban-  
 tur. Vocatum Medicum nihil non tentasse, quo solati-  
 um ferret: non venæ parvum incisionibus, non me-  
 dicinalibus cucurbitis, non vino vomitorio; sed hæc  
 omninò frustra. Medicos alios, Chirurgos, &  
 Pharmacopolas adeo arte sua & cura non multasse ma-  
 lum, ut potius ægrefcere medendo videretur. Octavo  
 circiter die ab ineunte morbo, digitos manus contractos,  
 & compressos invicem sese in volam inflexisse; ita ut  
 in priorem illos ac naturalem situm restituere magna  
 vi non semel ac frustra tentatum fuerit: Dextri pedis  
 articulos similiter versus calcem contractos esse: Audi-  
 visse se non semel Medicos dictitantes non adesse cu-  
 rationis spem, licet sibi ægræ rem, ut erat, dissimula-  
 re conarentur. Jam elapsam fuisse mensem unum  
 absque adhibito ullo Medicinæ genere, quando sana-  
 ta est. Ex desperata sanatione motam esse Sororem Pe-  
 roniam Rosaliam de Farge in eodem Monasterio  
 Deo addictam, ut testificanti mentem injiceret vene-  
 rabilis Sororis Mariæ Margaritæ Alacoque opem im-  
 plorandi; ad quod testificans ipsa minime propende-  
 bat: Inductam nihilominus fuisse, consilio dictæ So-  
 roris, ad preces novendiales cum eadem incipiendas,  
 quibus dictæ venerabilis defunctæ opem apud Deum  
 comprecaretur pro recuperanda valetudine: In eum fi-  
 nem recitasse orationem quamdam cum subjectis sibi  
 aliquot precibus; & quidem, ut fatetur ipsa, nihil ex  
 ope illa sperando pro sanatione, quippe quæ fidem abro-  
 garet

(xvij)

garet miraculis, quæ vulgo narrantur, & fabulas plerumque existimaret. Horis ferotinis hujus diei, qua ad memoratas preces inducta est, nempe 17. Februarii illius anni, allatam sibi fuisse subuculam, quæ feretrum contigerat, ubi venerabilis Sororis Olsa aservantur in dicti Monasterii conditorio. Allatam subuculam a Sorore Peronia Rosalia se noluisse induere, sed distulisse in crastinum, quod nec fidem, nec spem in venerabili Sorore reponeret: Attamen passam esse, ut ad pedem afflictum suum admoventur ejusdem Vener. Sororis facræ quædam Reliquiæ; id quod ex fide minus, quam ut aliarum obsequeretur voluntati factum est: Sequentem noctem, præter solitum, transegisse inquietam, somno sæpius intermisso; ita ut continuis vix horæ aliquot quadrantibus quietem ceperit: In somnis vero sibi visum esse induere subuculam, & ex eo sanescere: Sæpius idem eadem nocte recurrisset somnium, seu fere quoties somnus recurreret. Quum autem somnia hæc fiduciam excitassent, qua carebat ante; ubi primum adfuerit Sorores, quæ valetudinario, in quo degebat, præpositæ erant, rogavisse enixe præberi sibi subuculam pridie allatam: Quam quum accepisset a Sorore Maria Virginea de Martiniere, altera ex valetudinario præpositis, eademque juvante induisset, quieti se iterum tradidisset, ac post horæ quadrantem frigoris aliquid sensit in manibus, paulo post, tremorem in membris omnibus Paralyfi laborantibus, ac suavem denique calorem; ex quibus valere se conjecit. Eventum ut mirata est, & gratam se Deo præbere voluit, flectere genua tentasse

Z \* \* \*

super

super lectulum, innixam brachio prius inerti, & manu  
 cujus digiti situm suum connaturalem resumferant; sed  
 quum genu nequiret inniti, recubuisse; nec nisi post horæ  
 quadrantem ullum tentasse motum, orta enim ex prin-  
 cipio sanationis turbatio cogitationem omnem abstule-  
 rat, donec post horæ quadrantem accedens Soror Maria  
 Christina de Morande, ut ægræ affideret ac serviret, ro-  
 gavit quasi per jocum num sanata fuisset, quippe quæ fi-  
 duciâ & ipsa carebat: Tum testificantem fidenter respon-  
 disse, utique sana facta sum; & ostendisse manum qua li-  
 bere utebatur: Commotam vero rei novitate Sororem  
 festine adiisse antistitam, ut moneret quod contigerat.  
 Interea testificantem, quum remansisset sola, e lecto  
 furgere, vestesque induere suas cogitasse, id quod sine  
 cuiuspiam opera facile præstitit, pede scilicet in pro-  
 prium situm reducto, quin advertisset uti ita factum  
 erat. Audito miraculo accurrisse Antistitam cum mul-  
 tis Sororibus; & ipsam vestes, uti cœperat, induere,  
 solam sine fulmento incedere perrexisse, Chorum adii-  
 se, in crure tantum recens sanato imbecillitatis aliquid  
 expertam, quum per scalas descenderet, ideoque Soro-  
 ris unius usam auxilio; At reliquo diei illius tempore  
 multum incessisse pergentem quocumque vocaretur,  
 idque libere ac sine adminiculo. Quum tamen super-  
 esset difficultatis aliquid in flectendo genu quando per  
 scalas ascendebat, descendebatque, aut se proolvebat  
 ad orandum, optasse, ut pro impetranda reliquæ hujus  
 infirmitatis liberatione, sacrum de passione quinquies  
 fieret in honorem sacri Jesu Christi Cordis, cujus cul-  
 tus

tus per venerabilem Sororem Margaritam Mariam Alacoque inductus ac promotus est: Facienda illa quamprimum, suscepisse Sacerdotem, & distulisse tamen ad dies 15. per quos testificans solitam infirmitatem passa est: Incepto tandem primo, de quinque, sacro, non leve solatium sensisse, ac post duos tresve dies ita convaluisse prorsus, ut nihil infirmitatis reliquum fuerit. Ab eo tempore ad hodiernum usque diem incedere se, ambulare, ascendere, descendere, ac cuicumque arduo operi liceret, ut antea, vacare. Quum sæpius res, multæ operæ & laboris, suscepit, ut de sanatione sua constaret, sibi compertum fieri repentinam adeo curationem Dei omnipotentis esse miraculum, quod Venerabili Margaritæ Mariæ acceptum refert. Se juxta conscientiæ testimonium, juxtaque veritatem ita testari apud nos, sicut si proxime sustenda foret, apud Deum testaretur.

Lectis his coram ipsa testificante, vera illa esse confirmavit; adjecitque dum sanationis tempore, tremorem ac suavem calorem sensit, tunc nec sudorem, nec convulsionem, aut dolorem adfuisse... ac nobiscum, & cum scriba nostro nomen suum propria manu subscripsit ut sequitur: *Soror Claudia Angelica de Moulins. Abbas Languet. J. Godin.*

*In iisdem actis postea referuntur plurima testimonia tum Cappellani Monasterii, tum Sanctimonialium rei geste testium oculatarum, eandem sanationem miraculi plenam respicientia, quæ nos brevitati ergo prætermittimus, contenti tria dumtaxat testimonia in hacce causa esse*

*sen-*

sentia, duorum videlicet Medicorum, uniusque Chirurghi perstringere.

Hi tres postquam morbi (quo Monialis, de qua in testimonio mox adducto dictum est, tenebatur) naturam symptomata, effectus, ceteraque adjuncta, ut solent, descripserunt, & explicarunt. In hunc modum testimonium jurati concludunt.

D. Guill. Billet, in Academia Montepessulana Medicinæ Doctor... affirmavit minime dubitare se quin hæc sanatio verum sit miraculum, quanquam ex naturali animi propensione difficile adducatur, ut aliquid miraculo fieri credat, persuasus nimirum ejusmodi gratias rarissime a Deo concedi.

D. Francisc. Thoyant in Academia Montepessul. Medicinæ Doctor... Quum nullatenus possit tam subitam morbi prædicti sanationem ulli causæ naturali attribueri, cogitur ut fateatur, Miraculo a Dei omnipotentia factam esse: neque super ea re ullum animo suo dubium hæret. Quod religiose secundum conscientiam suam affirmat & testatur.

D. Abel Gabriel Decamps Chirurgus inter peritos juratos cooptatus... minime dubitat, quin sanatio adeo contraria tum experientiæ, tum cursui talium morborum ordinario, verum sit miraculum. Sola autem veritatis evidentia coactum, adduci se potuisse ait, ut id affirmaret: addens suum in ea re testimonium, eo gravius esse debere, quod in Calviniana hæresi olim educatus, vi antiquorum præjudiciorum, animo magis alieno sit ad fidem miraculis adhibendam.

EXEM-